

nam & præservatio Virginis, & Ecclesiae tota fortuna inde deducta, uni Christo nobiscum Deo debita referenda est. Propterea hoc epithonemate clauditur quæst. d. tantum est Deum esse nobiscum, Deum nostram suscepisse naturam: hinc Maria præservata, & Ecclesia assera. Maerit igitur ex hæcenus dictis liquidum, quo jure Deipara inelamaverit, vel à puncto Inæ Conceptionis: Et qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo.

Moralis illustratio.

SECTIO VII.

Non sit partiaria Gubernatoris bonitas: æqualem se omnibus exhibeat.

1352 Hoc illud esse reor, quod de se Incarnata prædicat Sapientia: In omnibus requiem quaesivi. Cum enim dixisset, se in omni populo, & in omni gente primatum habere; subtextit satis opportunè Gubernatorem informans, intimam ejus familiaritatem, quoad ipsam spectat, cum universis esse, absque ulla exceptione. Sic moralissimè præfacta verba premit Sanctus Bernardus Ser. 3. in festo omnium Sanctorum. In omnibus requiem quaesivi. Hæc est planè requies Domini, non intermissa, non circa aliquid certum restricta; quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem querit, & invenit. Nam & bona ei placent in se ipsis, & delectatur nihilominus bona ordinatione malorum. Quid ergo? Putasne poterit humana anima in hoc gaudium Domini sui, & in hanc ejus requiem intrare, ut & ipsa quoque in omnibus delectetur: nec aliqua jam privata affectione contrahatur in rugam, sed transeat in affectum quandam generalem atque divinum? Poterit sine dubio, si fidelis inveniat, &c. Tunc certè supremum totius orbis Gubernatorem & Dominum, Gubernatores imitantur, cum eorum bonitas partiaria non est, sed indiscriminatum in universos eam derivant, æqualiter omnibus consulentes: sic cum in affectum generalem transeat, in divinum prorsus transibunt, & divino quoque cognomine digni censentur. Dii merito appellandi, ut appellat Psaltes Ps. 81. 1. Deus stetit in Synagoga Deorum: id est, Judicum, Gubernatorum, Principum. Quoniam enim Deus verè Judex est; homines verò & ipsi administrationem judicii usurparunt; appellati sunt Dii, tanquam Deum hac in re imitati: ait ibi Sanctus Basilius.

Deus omnes amplectitur, absque ulla exceptione.

S. Bernar.

Pf. 81. 1.

S. Basil.

Job 29. 5.

Job instar centri, subditi, instar circuli, ad quem ex centro lineæ æqualiter desunt.

O prudentissimum Principis affectum! Universos in circuitu suo habet, tanquam circumlum; ad universos non dispari curâ protenditur amor: universos æqualiter respicit, ac singulis prospicit; totum Patrem sibi vendicant singuli filii, singulique famuli; requiem in Principe habent, uti in centro; & ipse in singulis requiem quaerit, uti in circulo. Nonne tibi videtur optima isthæc Gubernatoris norma?

1354 Solent Principes tum Ecclesiastici, tum seculares componi cum oculis, cum corde, cum anima rationali. Ut porrò hæc similitudinibus admoneantur, quomodo debeant æqualiter universos respicere, omni abjurata partialitate, & personarum acceptione. In primis Gubernatores in dignitate positi, oculi sunt in capite, ut & loco superiori, tanquam ex specula, longè prospiciant. Sic observant Ecclesiae Patres ad illud Cant. 5. Cant. 5. 12. 12. Oculi ejus sicut columba. & ad Zachariae Zach. 3. 9. cap. 3. 9. Super lapidem unum septem oculi sunt. Ea autem est oculorum conditio, ut membrum corporis reliquis æqualiter provideant, quin alia aliis præferant. Quæ pulchra est S. Chrysolomi observatio cum pulchra ad mores disciplina in 2. Epist. ad Thesal. cap. 1. vers. 3 Si oculus omnem providentiam, & S. Chrysol. curam, quam pro universo corpore habet, in solam manum derivaret, ac reliquis membris omnino contemptis, uni isti intenderet, an non totum perderet? Absque dubio. Ita & nosse charitatem, quam in universam Ecclesiam extendere debemus, in unum, & alterum coarctaverimus, & nobis ipsis, & illis, totique Ecclesie perniciem inferemus; ita namque non sunt charitatis, sed dissidii schismata nempe, & rupturæ hinc. Quid ad rem nostram luculentius? Hic spectant sacri illi Cherubini Ezechielis, Deum ipsum supremum mundi Gubernatorem sublimi in curru vehentes. Erant quidem oculis pleni, qualis Argus centoculus, sive multorum oculorum, ut ibi Hieronymus observat. Sic Vates eos describit cap. 1. 18. & c. 10. 12. Et omne corpus & colla, & manus, & pedes, & circuli, plena erant oculis. Indubie erant Gubernatorum typi; & Dei examini Principis providentiam in se ipsis exprimebant, exprimebant item in omnibus Reipublicæ Principibus, & Ecclesie Prælati. Illud præsertim nostro accommodum instituto; quod, quadriformia cum essent mystica illa animalia, omnes orbis plagas, omnes mundi nationes indifferenter spectabant, & tamquam oculi omnem providentiam, curam in universos derivabant, absque ulla partialitate. Unde Theodoretus ibi: Cui tot sunt numero facies, quot partes orbis terræ, huic Australe nihil est, sed ubique facies illius omnia intuetur. Ut sic Gubernatores admoneantur, ne partiarii sint, sed sibi subditi æquali providentia, & amore prosequantur; secus & sibi ipsis, & toti communitati nocumento erunt.

1355 Rursus cum corde etiam comparatur Prælati. Isai. 1. 5. Omne caput languidum, & omne cor mærens. Ubi Cyrillus Alexandrinus. Cor sacrosanctam, & selectam Tribum, id est, Leviticam, veluti lege eruditam, & curam totius corporis gerentem, videtur dicere. Et quidem rectè; nam, ut Chrysippus apud Galenum lib. 3. de Hippocratis & Plat. decretis, cor Græcis cordiam dictum, à præcipitum dicitur, id est, à dominio, & principatu. Cumque

Optima Gubernatoris norma.

Principes instar oculorum, membris omnibus æqualiter providentium.

Oculi Cherubini, Gubernatorum typus. S. Hieron. Ezech. 1. 18. & c. 10. 12. Quadriformes Cherubini omnes mundi partes respicientes.

Cor à præcipitum dicitur.

Ab eo in totum corpus calor, sanguis, vita.

que cor innati caloris, sanguinis, & vitæ fons fit, uti Arist. ait, lib. 3. depart. animal. cap. 4. & Gal. lib. 5. de affectuum locorum notitia cap. 1. optimum subministrat Prælatorum hieroglyphicum; qui, instar cordis, in reliquum corpus & innatum calorem, & sanguinem, & vitam derivant; ardentem nempe lucis doctrinam, totam virtutum perfectionem, bonorum operum actiones, & vitalem spiritum. Et hoc quidem indiscriminatum; non uni, aut alteri membro, sed omnibus sibi subditis æquè consulendo, ac benefaciendo: ad eum modum quo & cor omnibus corporis partibus, pro cuiusque necessitate, æqualiter consulit. Idcirco situm in corporis medio, sive in medio thorace, est, ut vitalem spiritum, & vivificum nectar æquo jure in omnia etiam extrema diffundat. A corde enim veluti à fonte duæ grandes venæ in priora & terga discurrunt, quæ sparsæ ramorum serie per alias minores omnibus membris vitalem sanguinem rigant. Atque hoc fortasse symbolice significatum est arcano illo Hebræi Antistitis rationali, in quo duodecim Tribuum gemmæ ipomet sacerdotis corde appendebantur, Exod. 28. 17. addita illa inscriptione rei mysterium indicante: doctrinam, & veritatem. Hebræicè, urim, & Tumim, id est, igneæ lucis, & perfectiones. Significabat nempe totum Pontificem veluti cor esse totius Ecclesiastici corporis; in illoque flammantem ignem doctrinæ, & virtutum omnium perfectiones, tanquam in proprio fonte residere; à quo, quali à corde, ad reliquum corpus, duodecim nempe Tribus, absque ulla partialitate, promanarent.

Principes, instar animæ, subditi instar corporis.

1356 Deinde Principes, & Prælati anima & spiritus subditorum sunt; illi enim populos non minus, quam spiritus sua corpora, animant, & informant. Unde Moyses Num. 27. 16. ut ostenderet Gubernatorum electionem ad Dei providentiam spectare, eum appellavit Dominum Deum spirituum, id est, Prælatorum, ut docti explicant Interpretes. Et cur non, cum Seneca lib. 1. de clementia c. 5. Neronem sic appellaverit? Animus Reipublicæ tu es, illa corpus tuum. Venusta profecto similitudo, & quæ Gubernatoris æqualitatem in subditos commendat, absque illoque exceptione. Ut enim anima rationalis tota est in toto corpore, & tota in qualibet parte, quantumvis minima, & infima; sic Principes tam peculiariter cuiusvis subditi bono, ac totius populi commodis debet esse intentus. Et quemadmodum anima omnibus, & singulis corporis partibus vitam inspirat, calorem, sensum, motum, vires altrices, & vegetatrices; sic Gubernatoris providentia, & cura ad omnia & singula Reipublicæ membra debet transire.

1357 Manifestum est de Christo Domino vaticinium apud Ezech. 34. 23. Et suscitabo super eum (gregem nempe suum) pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David (sic Christus vocatur, quia ex femine Davidico prognatus) ipse pascet eas. Et servus meus David Princeps in medio eorum. Illud unum signatim premo; quod præponatur Christus Dominus ovis suis Pastor, & Princeps in medio eorum. Cur in medio eorum? Explicat S. Augustinus in Psalm. 45. ex usu Biblici sermonis haud infrequenti, sic præclare: Hoc significat, quod æquus est omnibus Deus, & personarum. P. Ildeph. de Flores in Eccles.

non accipit: quomodo enim illud, quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines; ita Deus medius esse dicitur, æqualiter omnibus consulens. Quod præsertim videre est in almo Eucharistiæ mysterio, ubi Christus, tanquam bonus ovium suarum Pastor & Ecclesie Princeps, æqualiter se omnibus in cibum exhibet, & potum; humanitatis suæ communem gratiam in universos fideles derivans. Propterea visus à Joanne est Apoc. 5. 6. uti Agnus occisus habens cornua septem, & oculos septem; qui sunt septem Spiritus Dei, missi non in unam, vel alteram terræ partem, sed in omnem terram; & quidem in medio Apoc. 5. 6. throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum. Propterea quoque Zachar. 2. 5. Zach. 2. 5. ipse de se ait: Ero gloria in medio ejus. Hebraicè cabod, quod ita reddi posse Arias Montanus asserit: Ero jecur in medio ejus. Cum autem jecur sit illa corporis pars, ex qua in reliquum corpus alimentum traducitur, utpote ad vitam fovendam, ac sustentandam præcipua nobilissimum extat Eucharistiæ symbolum, ubi Christus tanquam Pastor & Princeps pretiosum suum sanguinem ad nostrum alimentum effundit, ita indiscriminatum, ut omnes & singuli justi totum Dominicum calicem participent. Hoc enim est esse jecur in medio ejus: quod æquus omnibus sit, absque personarum acceptione; ut porrò sic subditos sibi Principes, & Ecclesie Pastores instruat, ne illorum bonitas partiaria sit.

Christus in Eucharistiæ Pastor, & Princeps in medio Ecclesie.

1358 Componas, obsecro, inter se duo sacra Scripturæ testimonia: Alterum ex cap. 12. Exodi, ubi de Agno Paschali, in typum Christi à Cruce suspensum: Nec os illius confringetis. Quod ita prorsus factum; nam Joan. 19. 33. cum milites ad Jesum crucifixum accessissent, fracturi illius crura, uti & latronum; Non frangerunt ejus crura. Alterum ex 1. Corint. 10. 16. ubi Paulo de Eucharistico pane sermo est: Et panis, quem frangimus, nome participatio corporis Domini est? Ecce in ligno jam mortuus ullam ossium fractionem subire noluit; voluit tamen aliqualem sustinere in Eucharistiæ nem subire noluit, voluit tamen aliqualem sustinere in Eucharistiæ. Nonne incruenta Eucharistiæ oblatio sanguineam crucis oblationem repræsentat? Certè in ligno subditorum personam agebat; unde illa ejus querela Matth. 27. Deus meus, ut quid dereliquisti me? Ut enim sapienter S. Cyprianus in Serm. de Cæna Domini: Derelictorum personam gerens in cruce se queritur derelictum. At in sacra Eucharistia personam agit vigilantissimi Pastoris, & providentissimi Principis, ut agebat Ezichaelius, suas oves pascens, & gubernans; ideò in Cruce integer, absque ulla ossium fractione, in pretium solvitur; & in Eucharistia aliqualem fractionem patitur, ut sic quasi in frustra divisus à singulis ovis participetur, & tanto cibo sic fracto, ac distributo satientur omnes, & singuli. Arguta hæc est, ni me fallo, Chrysolomi cogitatio, prementis verba Apostoli proximè data S. Chryf. Hom. 24. Quare addit, quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minime, sed omnino contrà. Os enim ejus, inquit, non conteretur. Sed quod in Cruce passus non est, in pastor, & oblatione patitur, & propter te frangi sustinet. Ut princeps omnes satiet. Quid luculentius? Optima hæc extat Gubernatorum omnium disciplina, quæ docentur, in omnes ut sint benefici, & humani; in omnes liberales, & æquales.

Exod. 12.

Joan. 19. 33.

1. Corint. 10. 16.

Cur in Cruce Jesus ossium fractionem subire noluit, voluit tamen aliqualem sustinere in Eucharistiæ.



SECTIO VIII.

Dum in hac vita versamur, luctandum nobis continuo est, ut pacifice divina in nobis requiescat Majestas.

1359 Thesim hanc prae seferunt illa incarnatae Sapientiae verba: Et qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo. Feriandi, ac deliciandi verbum est illud requievit; quod & curas longè amandet, & solâ perfruatur amenitate. Sed expendè quem sibi locum ad quietem & delicias divinum selegerit Numen, nempe Tabernaculum. Cur non potius domos amplas, & magnificas, quae ornata regio, & hortorum varietate gratè blandiantur ad quiescendum, ad otium, ad feriandionem? Certè ad id non nisi Tabernacula amat Deus, quae Castrensia habitacula sunt eorum, qui in aciem prodeunt, qui peregrinantur, qui in motu, & exercitio versantur, inter armorum horrores. Ut enim Oregines Hom. 17. in Numeros; Domus res est fundata, ac stabilis, & certis terminis septa; Tabernacula verò sunt habitacula quaedam eorum, qui semper in via sunt, & semper ambulanti. Ostendit Deus, se non in iis requiescere, qui deliciis dediti sunt, & inutiles otiantur; sed in illis, qui duram vitae rationem tenentes arma mortificationis arripiunt, atque indefessè pugnant. Hæc porò deliciofa Numinis quies in nobis, dum in hac mortali vita versamur.

1360 Psalm. 18. 6. sic de sole modulatur Regius Psalter: In sole posuit Tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Hypallage esse exillimatur: unde ex Hebræo communiter effertur à Patribus, Solem posuit in Tabernaculo suo, id est, in caelis: vel etiam ad verbum, Soli posuit Tabernaculum, seu tentorium in eis, vel in ipsis; caelis nimirum; de quibus Psalm. 103. 4. Extendens caelum sicut pellem: id est, sicut tentorium, vel tabernaculum militare, quod ex pellibus fabricari solet. Etenim eosdem caelos, quos tabernaculum solis appellaverat, deinde vocat nuptialem ejusdem solis thalamum, ut Didymus, & alii rectè observant. An quia genialis Thalamus in Tabernaculi militaris formam construitur? ut Servius monet in 1. Aeneid. Ideo etiam in domibus tendebantur aulae, ut imitatio Tentoriorum feret, sub quibus bellantes semper habitare Majores, ut & in thalamis hoc fieri hodie conspicimus. Subinde tamen emergit dubium; Cur caelos, quos Tabernaculum solis dixit, eosdem nuncupet ejusdem Phœbi thalamum? Quid commune habent inter se Tabernaculum, & thalamus? Nonne illud mobilis habitatio est peregrinantium, & militantium, qui in pugna semper exercentur; thalamus verò, mollis & blandus quietis & dormitionis locus? Certè Ecclesia Christiana est, quae caelum mysticum eo Psalmo appellatur, in quo cernere est dierum, nocturnumque successorem, & à quo Dei gloria universo orbi denunciatur. Caeli autem hujus sol Christus extat, qui lege, testimonio, timore, judiciis, adjutorio, & redemptione à delictis animas beat; quod est totius Psalmi argumentum. Vocatur verò Ecclesia adhuc militans & Christi Tabernaculum, seu tentoriū militare, & ejusdem thalamus nuptialis; quia nullibi magis pacifi-

Ad sui quietem Tabernaculum castrensium dediti otiantur; sed in illis, qui duram vitae rationem tenentes arma mortificationis arripiunt, atque indefessè pugnant. Hæc porò deliciofa Numinis quies in nobis, dum in hac mortali vita versamur.

Origen.

Pf. 18. 6.

Ecclesia militare tentorium, & thalamus appellatur, quia in ea militante Deus requiescit.

Servius.

cè Deus requiescit uti sponsus in thalamo geniali, quàm ubi tentorium apparet militare, ubi semper vivitur in gladio, ubi armorum strepitus, ubi continuo cum crudelissimis hostibus pugnatur, diabolo, voluptatibus, & unoquoque vitio.

1361 Davidi consonat Salomon, Patri Filius Cant. 3. 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. Indubium sit, Salomonem hic esse Christum Dominum, tum pace, tum quiete abundè perfuientem, sive in Ecclesia univèrsim, sive in quacumque iustorum anima, quam lectulum appellat; in quo Christus dulcem & securam captat quietem. Lectulus Salomonis (ait S. Thomas ibi) quavis superna illius caelestis beatitudinis requies accipi possit, in quo Deus cum Sanctis requiescit, probabilis tamen praesens accipitur Ecclesia. Sed expendè, inter quos pacificè requiescat. Sanè inter sexaginta fortes, seu Gigantes (ut Hebræa habent) viros bellatores proceritate staturæ, & membrorum robore formidabiles, ex strenuissimis cum studio delectos; militari scientiâ exercitatissimos, veteranos, diu longumque in castris versatos, versantesque omnes accinctos gladiis, & ad pugandum alacres, per diem, noctemque vigilantes, propter pallores de noctibus maximos. O arcanam, & novam eruditionem fidelibus universis ediscendam! Non requiescit Deus, quasi in molli, & blando lectulo seclum sublevanti, nisi in iis, & inter illos, qui militiæ spiritualis sunt periti, semper diu nocteque in acie versantur, indefessè cum concupiscentiis pugnant, & carnis blandimentis bellum indicunt implacabile. Continuo igitur, dum in hac vita versamur, luctandum nobis est, ut pacificus Salomon in nobis dulciter requiescat. Audiendus est Honorius Augustodunensis, apud nostrum Del Rio, moralissimus Cantiorum expensor. Lectulus Salomonis est anima iusti, in qua requiescit Deus. Hunc lectulum sexaginta ex Israel, hoc est, omnes spirituales ambiunt; gladios discretionis tenentes; ad bella vitiorum virtutibus docti; quia uniuscujusque ensis super femur suum; id est, severitas vitæ cuiusque carnalitati dominatur, dum carnem macerant, & corpus in servitutem redigunt. O cave tibi à quietis otio, à desidiae lenocinio, qui in terra peregrinationis, & luctæ versaris, si vis esse Deo dulcis quiescendi locus.

Cant. 3. 7. Christus pacificè requiescit inter sexaginta fortes belligèrantes.

S. Thom.

Honor.

Inter Cherubinos sedet Deus fortes pugnant.

S. Gregor.

1362 Non infrequens apud Davidem locutio illa est: Qui sedes super Cherubim. Pf. 79. 2. Pf. 98. 1. Distum hoc à Psalte cum intuitu ad duos illos Cherubinos manibus, seu alis suis propitiatorium Arcæ sustententes, communis est Interpretum existimatio. Nam 1. Reg. 4. 3. dicitur: Arcam fœderis Domini exercituum sedentem super Cherubim. Hosce Cherubinos erectis pedibus stetit scribitur 2. Paral. 3. 13. Etenim, stare, non nisi bellatorum est; sessio autem quietem præ se fert; uti S. Gregorius lib. 1. in Job c. 26. observat: Sedere, quiescentis est; assurgere, decertantis. Quid igitur est, quod Deus super Cherubim praesertim sedere dicatur, & quiescere? & quorsum Deus sedet & quiescit, dum Cherubim stant bellatores, & decertantes? Certè, cum Cherubim Hebraicè, Latinis sit, quasi fortes, quasi pugnant; eos videntur designare viros, qui strenui sunt

sunt & belligerantes, hostilis, & pugnacis animi contra adversantes cupiditates, & rebelles carnis motus. In his jure merito sedere, & requiescere dicitur Deus, dum ipsi erectis stant pedibus adversus vitia decertantes; quia profectò nullibi magis dulciter, & pacificè requiescit Numen, quàm in iis, qui bellum semper inferunt voluptatibus, continuo dimicantes & pugnant aduersus hostes. Rectè in Pf. 98. 1. S. Augustinus: Vis ut sedeat in te Deus? si bonus eris, sedes Dei eris.

S. August.

Maria caelum, & thronum; requiescit simul & Crucem, quia pugnat.

S. Epiph.

Hic adijunge illud ab Epiphano datum Virgini Mariæ elogium in Serm. de ejus laudibus. Dico illam esse caelum, thronum, & Crucem: extendens enim sanctas ulnas suas Dominum portavit. Thronum cherubicus, cruciformis, & caelestis. Tum caelum & thronum, tum Crucem & Cherubicum thronum illam appellat. Videntur termini inter se pugnant; nam qui caelum dicit, & thronum, dulcem & pacatum requiescendi locum indigitat, pacem summam, & securitatem perfectam, absque luctamine illo: qui verò crucem appellat, & thronum Cherubicum, luctam denotat, & certamen, dura ac dira quæque subeuntem in mortificationis stadio. Quorsum igitur caeli nomine Deiparam exornat, dum ipsam Crucem vocat, & Cherubicum thronum, cruciformem; thronum nempe ex Cherubinis constatum qui fortes in bello, & pugnant sunt? O pulchra! ô arcana terminorum adfoctio! cæli schola veniens ad nostram eruditionem! Scilicet, tamen Virgo nullam unquam malignorum Spirituum subierit suggestionem, infestationem, aut aliam quamvis tentationem; nunquamque illius caro concupiverit adversus spiritum; nihilominus tamen, quoad vixit, carni inimica fuit, egregiaque bellatrix adversus reliquos animæ hostes. Ut enim S. Gregor. Turonensis in manuscriptis relatis à Francisco Ximeno Jerosol. Patriar. lib. 2. de vita Christi c. 47. scribit, se divino oraculo admonitum agnovisse, Deiparam, ex quo templum ingressa est, sine cilicio beatam illam carnem pungente, vixisse nunquam; illius vestes ex vilissima lana nullo infecta colore; formis ipsius semper nuda humo, vel duris tabulis adhaerebat, nullo instructus lecto: nullo unquam tempore non rejunxit. Ecce tibi, unde Maria habuerit, quod caelum sit, & Deo dulcis quiescendi locus; quia videlicet crux tibi extitit, cruciformis & Cherubicus thronus, summæ semper mortificationis luctæ intentæ. Quid ad nostram disciplinam accommodatius?

Maria carnis inimica, crux sibi erat per carnis afflictionem.

S. Gregor. Turo.

SECTIO IX.

Et luctamine multo, multaque tibi opus est deprecatione, ut veram adipiscaris Sapientiam.

Jacob in strenua lucta Israel, id est, videns Deum appellatum, & Sapientissimus.

1363 In Jacob inhabitata, & in Israel hereditare, dicitur divina Sapientia. Ecce & in Jacob, & in Israel simul? Nonne sat esset dicere, ad exprimendam caelestis Sapientiae habitationem in eo populo Hebræorum; In Jacob inhabitata, aut in Israel hereditaria; cum utroque hoc cognomine Gens gauderet Hebræa, Jacobei & Israelitæ appellati non aliunde quàm ab eodem Patriarcha. Jacob & Israel, nominato? Quorsum igitur utriusque meminit appellationis? Arcanissimè & opportunissimè quidem. Quod ut probè teneas, digitum in P. Ideph. de Flores in Eccles.

tendo ad illum Hebrææ Gentis Patriarcham, & magnificos eos titulos Jacob & Israel, quibus donatus est. E enim egregius luctator semper ille extitit, vel à materno utero, in quo colluctatus cum fratre Esau est Gen. 25. 22. Collidebantur in utero ejus parvuli. Unde appellatus Jacob fuit, id est, supplantator. Colluctatus deinde cum innumeris laboribus est, & cum Deo ipso sive Angelo personam Dei gerente, cui praevaluit. Gen. 32. 24. Ex hac admirabili lucta novum illi impositum nomen Israel, quod juxta multorum judicium, Deum videns, est; & hominem designat contemplativum, orationi & contemplationi intentum, qualis Jacobus extitit. Eo autem spectabant Jacobæ luctæ, & deprecationes; ut veram sibi sapientiam acquireret, quam vel ab ineunte ætate ambivit Gen. 25. 27. Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Chaldaeus vertit: Jacob erat vir perfectus, minister domus doctrinae: seu auditor domus Sapientiae. Et putant Hebræi per tabernacula intelligi scholas, vel gymnasia publica, in quibus docebant Melchisedech, & Heber; quorum erat auditor Jacobus. Unde Hispaniensis translatio legit: e Jacob sue sempre, que morava in las escuelas. Deinde in Mesopotamiam Syriæ missus à Patre Isaac est, ad domum Bathuel, ut acciperet inde uxorem. Gen. 28. 5. Quod allegoricè tractans Philo lib. de Profugis, rectè ait Sapientiam in sacris literis vocari Bathuel. Hanc certè ille in uxorem accepit, adamavit, possedit; cæterum multa post luctamina, orationem, contemplationem. Quò spectans divinum Numen apud Siracidem nostrum, divina statuit Sapientiae locum in quo requiescat quærenti, ut in Jacob inhabitet, & in Israel, non luctatori tantum, sed & contemplatori. Nempe ut ostendat, & luctamine multo, multaque deprecatione opus esse, ut veram adipiscamur sapientiam, quæ in nobis habitat.

1364 Sed adhuc singulari expensione dignissima est pro hoc themate arcana illa Jacobi lucta cum Angelo, & ejus parta victoria, caelestis antagonista superato. Atqui, ut Gen. 32. dicitur: Cumque matutine surrexisset, remansit solus, divinarum rerum contemplationi, & Gen. 32. orationi intentissimus: quomodo Rupertus ibi explicat: Ante diem surrexerat sacras celebrare excubias juxta illud Psalmistæ: In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus. Adjunctum mysticæ corporeum certamen. Utraque lucta potuit homo inferior victoriam de sublimissimo antagonista reportare. Unde Oseas c. 12. 3. In fortitudine sua directus est cum Angelo. Et invaluit ad Angelum: & confortatus est: flevit, & rogavit eum. Quid hoc? Porò in hac pugna, omnes sapientis pugnae portendebantur, certaminaque cum bellis & cum belluinis sive hominibus, sive cupiditatibus, & cum difficultate cognoscendarum rerum. His devictis videt Deum, & eapropter Israel debet appellari; ac lucta strenua tum precum mystica, tum etiam corporali, sublimem rerum humanarum, divinarumque sapientiam adipiscitur. Quod notavit Rupertus lib. 8. in Genesim c. 9. cui titulus, Quòd omnis, qui factæ scripturæ studiis accinctus incumbit, sensum verbi Dei tenere contendens, instar Jacob cum Deo luctetur, sic acutè: Bene juxta Rupert. anagogem claudicat Jacob ille, qui cum Deo luctatus est, & longo atque assiduo luctamine usus,

Gen. 25. 22.

Ruper.

Ose. 12. 3.

G g 2